idem profecto quid in tali casu vobis foret, vndiq; videbat mortem intentari, nec tamen inferri, et dum dubiæ hærerent, nunc sibi, nunc filijs timorem diuidebant, magis utiq; anxiæ pro istis futuræ, si non minus suspicarentur tutos enim illos fore in innocentia sua arbitrabantur, audiebant iam dudum frementium vocum tonitrua, videbant nudati ferri fulgura, nondum fulmina sentiebant, timebant igitur, nec quid timerent scire poterant, incolumes mariti propinquæ intactæ, supellex illæsa, quid igitur formidarent nisi filijs, eos igitur in sinu occultabant, non ut mortem, quam non timebant, fugerent, sed ne tenelli adhuc iuuentium pedibus pessundarentur, fit interim clamor, ad cunas curritur in matrum sinus inuolatur, occide, occide, vndiq; personat, paulatim aperitur clades: tunc accurrere matres inculto capillo, voce incondita et elata, infantes cruentis mucronibus eripere, pone insequitur miles, urget, instat, primo in volitantem cæsariem, deinde in amplexus insilit puerum nequidquam ad matrem brachia tendentem trucidat, prô Deum immortalem! quam atrox erat spectaculum, sub ipsis matrum obtutibus, tenellulos infantes ex sinu raptos a truculento, et immanissimo milite, sine vlla humanitate cruento